

Hermannus Schottennius Hessus, grammaticus, qui anno 1546<sup>o</sup> de vita decesse videtur,  
nonnullos annos Coloniae, in urbe praeclara, docuit, et *Confabulationes tironum litterariorum*  
(dialogos videlicet, vel "colloquia familiaria") in usum discipulorum emendatius Latine loqui  
cupientium composit.

(1)

*Confabulationum Schottennii pars I*

1. DIFFICILE ESSE LATINVM DISCERE SERMONEM,  
ET VNDE DICATVR SERMO LATINVS

Albertus et Antonius

ALBERTVS. Quid tu hic terrarum geris?

ANTONIVS. Hic litteris incumbo.

5

ALBERTVS. Quando uenisti huc?

ANTONIVS. Ante paucos dies.

ALBERTVS. Quis tecum?

ANTONIVS. Pater meus.

ALBERTVS. Rediit ipse deinde solus in patriam?

10

ANTONIVS. Non, sed habuit comitem unum aut alterum.

ALBERTVS. Qui isti fuerunt?

ANTONIVS. Nostri concives fuerunt.

ALBERTVS. Militas in schola sermonis Latini uel Germanici?

ANTONIVS. Latinae linguae.

15

ALBERTVS. Difficile est Latinum addiscere sermonem.

ANTONIVS. Consentio.

ALBERTVS. Nisi quis semper loquatur Latine, aegre addiscet.

ANTONIVS. Non dissentio.

ALBERTVS. Sed scisne quare dicatur lingua Latina?

20

ANTONIVS. Credo quod ab Italia, quae quondam Latium est  
dicta.

ALBERTVS. Venit tunc ab Italia lingua Latina ad nos  
Germanos?

25

ANTONIVS. Ita, ignoras illud?

ALBERTVS. Optime credo, quia sermo Italorum est medius  
Latinus.

ANTONIVS. Non aberras.

ALBERTVS. Sed cur Italia olim dicta est Latium?

30

ANTONIVS. Quia poetae scribunt, dum Saturnus a suo filio  
Ioue e caelo esset expulsus, tum latuit in Italia; inde a  
latendo dicitur Latium, et a Latio Latinus, -a, -um.

ALBERTVS. Vbi in Italia Latina lingua est orta?

ANTONIVS. Dicunt in urbe Romana, quae Italiae caput est.

← Hem!

32-34 dicitur Latium ... caput est.] dicitur Latium. A

80. DE BALNEIS INGREDIENDIS

Petrus et Hermannus

PETRVS. Vt ita oles hircum!

HERMANNVS. Arguis me foetoris beanorum?

PETRVS. Non beanum te uoco, sed grauiter oles.

HERMANNVS. Forte pituita laboras.

PETRVS. Sordes tamquam diu balneis non interfusses.

HERMANNVS. Balnea ut Sirenes fugio.

PETRVS. Malene tibi cum balneis conuenit?

HERMANNVS. Scabie infectus sum, ideo uereor conspici  
nudus.

PETRVS. Tanto crebrius te ablueres, quo purgareris.

HERMANNVS. In balneis non omnes purgantur.

PETRVS. Qui non?

HERMANNVS. Multi ingressi mundi exeunt ulcerosi.

PETRVS. Scabiem talem plerunque istic tollunt homines.

HERMANNVS. Credo, sed et deridetur et uitatur ab omnibus  
scabie confectus.

PETRVS. Mallem istud deridere ferre quam semper scabie  
affligi.

HERMANNVS. Facile consilium praebes (sententia Terentii)  
quia tu cute purus es.

PETRVS. Consulo tibi quod et ego agerem.

HERMANNVS. Vereor apprime conspici scabiosus.

5

10

15

20

PETRVS. Frontem perfrica, ac mihi in balneum congregdere,  
mea crumena.

HERMANNVS. Exolues tu lotionis meae symbolum?

PETRVS. Promitto, immunis meo balneabis aere.

HERMANNVS. Congrediar, posthac et te ab impendio balnei  
habebo liberum.

PETRVS. Id non expeto, accinge ut coeamus.

HERMANNVS. Ibo prius domum, indutum interulam mundam  
uel lotam.

PETRVS. I propere, hic in aedibus te manebo.

HERMANNVS. Mox rursus adero.

PETRVS. I Pegaseo gradu et uorans uiam.

35-36 adero ... uiam.] adero. A

25

30

35

(3)

## 16. VOCANDI ALIVM AD CENAM

Iohannes filius ciuis, Henricus alio oriundus

IOHANNES. Condixistine alicui hodie cenam?

HENRICVS. Nemini.

IOHANNES. Neque aliquis tibi obtulit?

HENRICVS. Nemo, hercle nemo.

IOHANNES. Cenabis tum domi tuae?

HENRICVS. Domi meae non cenabo, sed ieiunabo.

IOHANNES. Qui fit hoc?

HENRICVS. Quia nihil mihi est quod edam.

IOHANNES. Parentes mei rogan ut nobiscum cenam sumas.

HENRICVS. Vellem te uera' loqui.

IOHANNES. Fidem mihi habeas.

HENRICVS. Esto, do fidem.

IOHANNES. Eas igitur celerrime.

HENRICVS. Vt praecesseris, ita et sequar.

IOHANNES. Veni ocius, mensa est instructa obsoniis.

HENRICVS. Venio ac uelox.

IOHANNES. Rogo ad mensam ne quid mali de me loquaris  
parentibus.

5

10

15

20

HENRICVS. Securus esto, delator non sum.

IOHANNES. Si quaerent parentes an in litteris progrediar, quid  
dices?

HENRICVS. Asseram te omnibus aliis in litteris feruentiores.

IOHANNES. Si secus dixeris, postremum me amicum habuisti.

HENRICVS. Ad mensam soleo non garrire sed stomachum  
curare.

IOHANNES. Fac edas fortiter, ne uereare ob parentum  
praesentiam.

HENRICVS. In mensa frontem perfrico.

IOHANNES. Sat uini tibi in calicem largiar, tu uide ut ebibas.

HENRICVS. Vinum non moror si cereuisia in promptu est.

IOHANNES. Nescis 'Vinum modice suumptum acuere  
ingenium'?

HENRICVS. Ingenium meum plus enecat uini potus quam  
excitat.

IOHANNES. Bibendo forte modum excedis? Sed ingredere, ne  
cenando moremur parentes.

HENRICVS. Praecede, ut dignum est.

32 cereuisia] ceruisia A | 33 acuere] acuit A

28. DE AVTVMNO

Iaspar et Iacobus

IASPAR. Adest rursus tempus istud pestiferum et hiemem  
reducens.

IACOBVS. Quod tempus putas?

IASPAR. Autumnale, cuius hodie primus est dies, festum Sancti  
Bartholomaei.

IACOBVS. Vocas tu istud tempus pestiferum?

IASPAR. Voco, quia nunquam magis quam hoc tempore morbo  
succumbunt homines.

IACOBVS. Si uerum fateri uis, nullo non tempore totius anni  
laboratur doloribus corporis.

IASPAR. Praecipue tamen autumni diebus.

5  
10  
15  
20  
25  
30  
35

IACOBVS. Nescio, laus superis, ego nunquam infirmitatem  
sensi [B6<sup>r</sup>] in autumno.

IASPAR. Praeter istud incommodum, et frugem tamen aliquam  
secum affert.

IACOBVS. In quo est frugifer?

IASPAR. Quia uinum profert.

IACOBVS. In hoc certe laudem meretur.

IASPAR. Alia quoque commoda habet.

IACOBVS. Quaenam? Dic.

IASPAR. Abigit pulices suo frigore, qui nos nocte in aestate  
uerminarunt.

IACOBVS. Certe non omnibus illos depellit.

IASPAR. Qui sentiunt pulices in autumno?

IACOBVS. Vetulae mulieres semper sub uestibus queritant eos.

IASPAR. Apud illas perpetuum habent hospitium.

IACOBVS. Adde et pediculi.

IASPAR. Autumnus etiam nucum adducit messem.

IACOBVS. Istas non admodum moror.

IASPAR. Narra quid causae siet.

IACOBVS. Quia admixtum uocis sinceritatem.

IASPAR. Eam restituit aqua pura et calida.

IACOBVS. Sed a cibo abhorreo qui me aquam potare cogit.

IASPAR. Supra communem hominum sortem sapis.

IACOBVS. Nunc me naso suspendis.

IASPAR. Non, quia homines saepe aliqua edunt, etiam unde  
perniciem sunt accepturi; istud tu fugiturum te dicis.

35 a cibo abhorreo] cibum abhorreo A

**Iacobus Pontanus S.I. (1542-1526) *Progymnasmata Latinitatis ad eloquentiam Ciceronianam extemporalem apud discipulos provehendam compositum***

**Progymnasma vigesimum sextum**

**Dies remissionis**

Polycarpus

Ignatius

Polycarpus O dies Mercurialis, credibile non est quam optatus et carus illuxeris, ut alias in hebdomadas singulas. Celebritatis venustatisque plenus es.

Ignatius Pernovi cogitationes tuas. Quia lusurus es, idcirco tam amice salutas praesentem diem.

P. Vellem alternis reverterere; nam continens biduum nauseabundus tracto litteras.

I. Votum asinorum, qui, si loquerentur, optare se dicerent cum Polycarpo meo ut alternis tantum dorsa onerati incederent.

P. Non ego hoc solus, Ignati: complures mecum desiderant.

I. Nempe sic est profecto, ut dicam tibi: multi tecum magis amant catellos suos, quam studia bonarum artium, creduntque sibi dormientibus omnia confecturum Deum.

P. Dum Latine loqui sciam modo, Aristotelem et Euclidem tibi et aliis relinquam.

I. At tu ne Latine quidem aliquando disces, si audiendi, legendi, loquendi, scribendi quandam perseverantiam non adhibeas.

P. Quorsum haec tetrica et iucunditatis omnis expertia, ut Catones aliqui, fabulamur? Hodie insigniter ludendum esse aio instaurandasque vires, quas labor tam longus delassavit.

I. Nec Ignatius ludum quietemque necessariam recusaverit. Quin paratus sum hac ipsa hora tibi colludere. Nulla tibi hoc quidem in negotio a me difficultas erit.

Remissiones crebras et extraordinarias odi; siquidem honestis moribus optimarumque artium studiis detimentosae sunt.

P. Tu fac et senti quod collibuerit; mihi indulgentia vacationum nihil potest contingere gratius. Magistri viderint quid, quibus, quando indulgeant; nostrarum partium esse statuo quod conceditur non invitox accipere, quotiescumque conceditur.

I. Olim cognosces te nimium lusisse.

P. Et tu perspicies olim te nimium studuisse, quando, inquam, oculi caligabunt, ventriculus cibum male concoquet, corpus totum pallor et macies obsidebunt. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus.

I. O falsidicum vatem! Haud ita me intemperantem ingurgito litteris, ut istas praedictiones formidare oporteat. Audivi etiam eruditos plurimos ad decrepitam aetatem aevum extendisse, cum assidue in libris litterisque essent volutati.

P. Ipse Thales ad sapientiam tuam merus nugator est. Desine philosophari: haec lux hilariter consumenda est.

I. Qua tandem ratione consumenda?

P. Visne in prata virentia concedamus ibique pila experiamur palmaria?

I. Volo sane; utile et iucundum est hoc ludendi genus. Ascende e vestigio in conclave et defer amborum pallia cum pila.

P. Ubi est pila?  
I. In pluteo aut certe in capsā ductili sub mensa.  
P. Eo ut afferam.  
I. Actutum redi; hic te expectavero.  
P. Illic sum atque hic sum.

## **Erasmi Adagia**

Prora et puppis.

Crassa (pingui) Minerva.

Ferrum ferro acuitur.

Mutuum muli scabunt.

Tricae, apinae.

Susque deque.

Remis velisque.

Harenam metiris.

Omne tulit punctum. Omnium calculis.

Duos parietes de eadem dealbare fidelia.

Flocci non facio.

Connivere.

Odium Vatinianum.

Sileni Alcibiades.

Dulce bellum inexpertis.

Nostrae farinae.

Camelus saltat.

Lupus in fabula.

Lacrima nihil citius arescit.

Cribro aquam haūrire.

Croesi pecuniae teruncium addere.

Verbis nostris, O amici, vix opus est, ut notescat vobis Marcus Tullius Cicero, orator, philosophus, epistularum scriptor, qui ab anno 106 usque ad annum 43 ante Chr. natum vixit. Hunc locum lectu dignissimum credimus, quippe ubi Marcus Tullius explicit cur studium sapientiae - "quae philosophia dicitur" - sibi litteris Latinis esse illustrandum putaverit....

## E M. TVLLI CICERONIS TVSCVLANARVM DISPVTATIONVM LIBRO PRIMO

1 Cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omnino aut magna ex parte essem aliquando liberatus, rettuli me, Brute, te hortante maxime ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi, et cum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur, hoc mihi Latinis litteris inlustrandum putavi, non quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset, sed meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.

2 Nam mores et instituta vitae resque domesticas ac familiaris nos profecto et melius tuemur et lauius, rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. quid loquar de re militari? in qua cum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. iam illa, quae natura, non litteris adsecuti sunt, neque cum Graecia neque ulla cum gente sunt conferenda. quae enim tanta gravitas, quae tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in illis fuit, ut sit cum maioribus nostris comparanda?

3 Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat; in quo erat facile vincere non repugnantes. nam cum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit poetarum, siquidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo, serius poeticam nos accepimus. annis fere cccccx post Romam conditam Livius fabulam dedit, C.Claudio,Caeci filio, M.Tuditano consulibus, anno ante natum Ennium. qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius. II. sero igitur a nostris poetae vel cogniti vel recepti. quamquam est in Originibus solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus; honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M.Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset; duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium. quo minus igitur honoris erat poetis, eo minora studia fuerunt, nec tamen, si qui magnis ingeniis in eo genere extiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt.

4 an censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polyclitos et Parrhasios fuisse? honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus; igitur et Epaminondas, princeps meo iudicio Graeciae, fidibus praecclare cecinisse dicitur, Themistoclesque aliquot ante annos cum in epulis recusaret lyram, est habitus indoctior. ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec qui nesciebat satis excultus doctrina putabatur.

5 in summo apud illos honore geometria fuit, itaque nihil mathematicis inlustrius; at nos metiendi ratiocinandique utilitate huius artis terminavimus modum. III. At contra oratorem celeriter complexi sumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum, post autem

eruditum. nam Galbam Africanum Laelium doctos fuisse traditum est, studiosum autem eum, qui is aetate anteibat, Catonem, post vero Lepidum, Carbonem, Gracchos, inde ita magnos nostram ad aetatem, ut non multum aut nihil omnino Graecis cederetur. Philosophia iacuit usque ad hanc aetatem nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum; quae inlustranda et excitanda nobis est, ut, si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi.

6 in quo eo magis nobis est elaborandum, quod multi iam esse libri Latini dicuntur scripti inconsiderate ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. fieri autem potest, ut recte quis sentiat et id quod sentit polite eloqui non possit; sed mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec inlustrare possit nec delectatione aliqua alicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris. itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit praeter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt. quare si aliquid oratoriae laudis nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiae fontis aperiemus, e quibus etiam illa manabant.

IV. 7 Sed ut Aristoteles, vir summo ingenio, scientia, copia, cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere docere etiam coepit adulescentes et prudentiam cum eloquentia iungere, sic nobis placet nec pristinum dicendi studium deponere et in hac maiore et uberiore arte versari. hanc enim perfectam philosophiam semper iudicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere; in quam exercitationem ita nos studiose [operam] dedimus, ut iam etiam scholas Graecorum more habere auderemus. ut nuper tuum post discessum in Tusculano cum essent complures mecum familiares, temptavi, quid in eo genere possem. ut enim antea declamitabam causas, quod nemo me diutius fecit, sic haec mihi nunc senilis est declamatio. ponere iubebam, de quo quis audire vellet; ad id aut sedens aut ambulans disputabam.

Publius Ovidius Naso ab anno 43 ante Christum natum usque ad annum circiter 18 post Christum natum vixit. Hi versus sunt ex Ovidii *Metamorphoseōn* libro primo excerpti.

Dicta Iovis pars voce probant stimulusque frementi  
adiciunt, alii partes adsensibus implent. 245  
est tamen humani generis iactura dolori  
omnibus, et quae sit terrae mortalibus orbae  
forma futura rogant, quis sit latus in aras  
tura, ferisne paret populandas tradere terras.  
talia quaerentes (sibi enim fore cetera curae) 250  
rex superum trepidare vetat subolemque priori  
dissimilem populo promittit origine mira.

Iamque erat in totas sparsurus fulmina terras;  
sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether  
conciperet flamas longusque ardesceret axis: 255  
esse quoque in fatis reminiscitur, adfore tempus,  
quo mare, quo tellus correptaque regia caeli  
ardeat et mundi moles obsessa laboret.  
tela reponuntur manibus fabricata cyclopum;  
poena placet diversa, genus mortale sub undis 260  
perdere et ex omni nimbos demittere caelo.

Protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris  
et quaecumque fugant inductas flamina nubes  
emittitque Notum. madidis Notus evolat alis,  
terribilem piœa tectus caligine vultum; 265  
barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis;  
fronte sedent nebulae, rorant pennaeque sinusque.  
utque manu lata pendentia nubila pressit,  
fit fragor: hinc densi funduntur ab aethere nimbi;  
nuntia Iunonis varios induita colores 270  
concipit Iris aquas alimentaque nubibus adfert.  
sternuntur segetes et deplorata coloni  
vota iacent, longique perit labor inritus anni.

Nec caelo contenta suo est Iovis ira, sed illum  
caeruleus frater iuvat auxiliaribus undis. 275  
convocat hic amnes: qui postquam tecta tyranni  
intravere sui, 'non est hortamine longo  
nunc' ait 'utendum; vires effundite vestras:  
sic opus est! aperite domos ac mole remota  
fluminibus vestris totas inmittite habenas!' 280  
iusserat; hi redeunt ac fontibus ora relaxant  
et defrenato volvuntur in aequora cursu.

Ipse tridente suo terram percussit, at illa  
intremuit motuque vias patefecit aquarum.  
exspatiata ruunt per apertos flumina campos 285  
cumque satis arbusta simul pecudesque virosque

tectaque cumque suis rapiunt penetralia sacris.  
si qua domus mansit potuitque resistere tanto  
indeiecta malo, culmen tamen altior huius  
unda tegit, pressaeque latent sub gurgite turres.      290  
iamque mare et tellus nullum discriminem habebant:  
omnia pontus erant, derant quoque litora ponto.

Occupat hic collem, cumba sedet alter adunca  
et dicit remos illic, ubi nuper arabat:  
ille supra segetes aut mersae culmina villae      295  
navigat, hic summa piscem deprendit in ulmo.  
figitur in viridi, si fors tulit, ancora prato,  
aut subiecta terunt curvae vineta carinae;  
et, modo qua graciles gramen carpsere capellae,  
nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae.      300  
mirantur sub aqua lucos urbesque domosque  
Nereides, silvasque tenent delphines et altis  
incursant ramis agitataque robora pulsant.  
nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones,  
unda vehit tigres; nec vires fulminis apro,      305  
crura nec ablato prosunt velocia cervo,  
quaesitisque diu terris, ubi sistere possit,  
in mare lassatis volucris vaga decidit alis.  
obruerat tumulos immensa licentia ponti,  
pulsabantque novi montana cacumina fluctus.      310  
maxima pars unda rapitur; quibus unda pepercit,  
illos longa domant inopi jejunia victu.

## Versuum Ovidii pars II

Separat Aonios Oetaeis Phocis ab arvis,  
terra ferox, dum terra fuit, sed tempore in illo  
pars maris et latus subitarum campus aquarum. 315  
mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,  
nomine Parnasos, superantque cacumina nubes.  
hic ubi Deucalion (nam cetera texerat aequor)  
cum consorte tori parva rate vectus adhaesit,  
Corycidas nymphas et numina montis adorant  
fatidicamque Themin, quae tunc oracula tenebat:  
non illo melior quisquam nec amantior aequi  
vir fuit aut illa metuentior ulla deorum.  
Iuppiter ut liquidis stagnare paludibus orbem  
et superesse virum de tot modo milibus unum, 320  
et superesse vidit de tot modo milibus unam,  
innocuos ambo, cultores numinis ambo,  
nubila disiecit nimbisque aquilone remotis  
et caelo terras ostendit et aethera terris.  
nec maris ira manet, positoque tricuspidate telo  
mulcet aquas rector pelagi supraque profundum  
exstantem atque umeros innato murice tectum  
caeruleum Tritona vocat conchaeque sonanti  
inspirare iubet fluctusque et flumina signo  
iam revocare dato: cava bucina sumitur illi, 330  
tortilis in latum quae turbine crescit ab imo,  
bucina, quae medio concepit ubi aera ponto,  
litora voce replet sub utroque iacentia Phoebo;  
tum quoque, ut ora dei madida rorantia barba  
contigit et cecinit iussos inflata receptus, 340  
omnibus audita est telluris et aequoris undis,  
et quibus est undis audita, coercuit omnes.  
iam mare litus habet, plenos capit alveus amnes,  
flumina subsidunt collesque exire videntur;  
surgit humus, crescent sola decrescentibus undis, 345  
postque diem longam nudata cacumina silvae  
ostendunt limumque tenent in fronde relicta  
Redditus orbis erat; quem postquam vidit inanem  
et desolatas agere alta silentia terras,  
Deucalion lacrimis ita Pyrrham adfatur obortis: 350  
'o soror, o coniunx, o femina sola superstes,  
quam commune mihi genus et patruelis origo,  
deinde torus iunxit, nunc ipsa pericula iungunt,  
terrarum, quascumque vident occasus et ortus,  
nos duo turba sumus; possedit cetera pontus. 355

haec quoque adhuc vitae non est fiducia nostrae  
certa satis; terrent etiamnum nubila mentem.  
quis tibi, si sine me fatis erecta fuisses,  
nunc animus, miseranda, foret? quo sola timorem  
ferre modo posses? quo consolante doleres!                   360  
namque ego (crede mihi), si te quoque pontus haberet,  
te sequerer, coniunx, et me quoque pontus haberet.  
o utinam possim populos reparare paternis  
artibus atque animas formatae infundere terrae!  
nunc genus in nobis restat mortale duobus.                   365  
sic visum superis: hominumque exempla manemus.<sup>1</sup>  
dixerat, et flebant: placuit caeleste precari  
numen et auxilium per sacras querere sortes.  
nulla mora est: adeunt pariter Cephesidas undas,  
ut nondum liquidas, sic iam vada nota secantes.                   370  
inde ubi libatos inroravere liquores  
vestibus et capiti, flectunt vestigia sanctae  
ad delubra deae, quorum fastigia turpi  
pallebant musco stabantque sine ignibus arae.

### Versuum Ovidii pars III

ut templi tetigere gradus, procumbit uterque  
pronus humi gelidoque pavens dedit oscula saxo  
atque ita 'si precibus' dixerunt 'numina iustis  
victa remollescunt, si flectitur ira deorum,  
dic, Themis, qua generis damnum reparabile nostri  
arte sit, et mersis fer opem, mitissima, rebus!' 380

Mota dea est sortemque dedit: 'discedite templo  
et velate caput cinctasque resolvite vestes  
ossaque post tergum magnae iactate parentis!'  
abtrahere diu non possum silentio meum

obstupuere diu: rumpitque silentia voce  
Pyrrha prior iussisque deae parere recusat,  
detque sibi veniam pavido rogat ore pavetque  
laedere iactatis maternas ossibus umbras.  
interea repetunt caecis obscura latebris  
verba datae sortis secum inter seque volant.  
inde Promethides placidis Epimethida dictis  
mulcet et 'aut fallax' ait 'est sollertia nobis,  
aut (pia sunt nullumque nefas oracula suadent!)  
magna parens terra est: lapides in corpore terrae  
ossa reor dici; iacere hos post terga iubemur.'

Coniugis augurio quamquam Titania mota est,  
spes tamen in dubio est: adeo caelestibus ambo  
diffidunt monitis; sed quid temptare nocebit?  
descendunt: velantque caput tunicasque recingunt  
et iussos lapides sua post vestigia mittunt.

saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?) 400  
ponere duritatem coepere suumque rigorem  
mollirique mora mollitaque ducere formam.

mox ubi creverunt naturaque mitior illis  
contigit, ut quaedam, sic non manifesta videri  
forma potest hominis, sed uti de marmore coepit

forma potest hominis, sed ut de marmore coepit  
non exacta satis rudibusque simillima signis,  
quae tamen ex illis aliquo pars umida suco  
et terrena fuit, versa est in corporis usum;

et tenet fuit, versa est in corporis usum,  
quod solidum est flectique nequit, mutatur in ossa,  
quae modo vena fuit, sub eodem nomine mansit,  
inque brevi spatio superorum numine sexa. 410

Inque brevi spatio superiorum humile saxa  
missa viri manibus faciem traxere virorum  
et de femineo reparata est femina iactu.  
inde genua dumus cum una exponimus labores

inde genus durum sumus experientisque laborum et documenta damus qua simus origine nati. 415

Cetera diversis tellus animalia formis  
sponte sua peperit, postquam vetus umor ab igne  
percaluit solis, caenumque udaeque paludes

intumuere aestu, fecundaque semina rerum  
vivaci nutrita solo ceu matris in alvo                  420  
creverunt faciemque aliquam cepere morando.  
sic ubi deseruit madidos septemfluus agros  
Nilus et antiquo sua flumina reddidit alveo  
aetherioque recens exarsit sidere limus,  
plurima cultores versis animalia glaebis                  425  
inveniunt et in his quaedam modo copta per ipsum  
nascendi spatium, quaedam imperfecta suisque  
trunca vident numeris, et eodem in corpore saepe  
altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.  
quippe ubi temperiem sumpsere umorque calorque,                  430  
concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus,  
cumque sit ignis aquae pugnax, vapor umidus omnes  
res creat, et discors concordia fetibus apta est.  
ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti  
solibus aetheriis altoque recanduit aestu,                  435  
edidit innumeratas species; partimque figuratas  
rettulit antiquas, partim nova monstra creavit.

Marcus Tullius Cicero iuvenis duos libros *De inventione <oratoria>* scripsit - et in huius opusculi libro primo nonnulla de origine civitatum dicit....

### E M. TVLLI CICERONIS DE INVENTIONE LIBRO PRIMO...

[1] Saepe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi ac summum eloquentiae studium. Nam cum et nostra rei publicae detrimenta considero et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines inventam partem incommodorum; cum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex litterarum monumentis repetere instituo, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societas, sanctissimas amicitias intellego cum animi ratione tum facilius eloquentia comparatas.

Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam dicit, ut existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse numquam. Quare si quis omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur; qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro his propugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur.

[2] Ac si volumus huius rei, quae vocatur eloquentia, sive artis sive studii sive exercitationis cuiusdam sive facultatis ab natura profectae considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum atque optimis rationibus profectum.

Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur et sibi victu fero vitam propagabant nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant, nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur, nemo nuptias viderat legitimas, non certos quisquam aspicerat liberos, non, ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque inscientiam caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus.

Quo tempore quidam magnus videlicet vir et sapiens cognovit, quae materia esset et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere et praecipiendo meliorem reddere; qui dispersos homines in agros et in tectis silvestribus abditos ratione quadam conpulit unum in locum et congregavit et eos in unam quamque rem inducens utilem atque honestam primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes ex feris et inmanibus mites redditit et mansuetos.

[3] Ac mihi quidem hoc nec tacita videtur nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret et ad diversas rationes vitae traduceret.

Age vero urbibus constitutis, ut fidem colere et iustitiam retinere discerent et aliis parere sua voluntate consuescerent ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam

vitam amittendam existimarent, qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profecto nemo nisi gravi ac suavi commotus oratione, cum viribus plurimum posset, ad ius voluisse sine vi descendere, ut inter quos posset excellere, cum iis se pateretur aequari et sua voluntate a iucundissima consuetudine recederet, quae praesertim iam naturae vim optineret propter vetustatem.

Ac primo quidem sic et nata et progressa longius eloquentia videtur et item postea maximis in rebus pacis et belli cum summis hominum utilitatibus esse versata; postquam vero commoditas quaedam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii dicendi copiam consecuta est, tum ingenio freta malitia pervertere urbes et vitas hominum labefactare assuevit....

... [5] Nam quo indignius rem honestissimam et rectissimam violabat stultorum et improborum temeritas et audacia summo cum rei publicae detrimento, eo studiosus et illis resistendum fuit et rei publicae consulendum. Quod nostrum illum non fugit Catonem neque Laelium neque eorum, ut vere dicam, discipulum Africanum neque Gracchos Africani nepotes: quibus in hominibus erat summa virtus et summa virtute amplificata auctoritas et, quae et his rebus ornamento et rei publicae praesidio esset, eloquentia.

Quare meo quidem animo nihilo minus eloquentiae studendum est, etsi ea quidam et privatim et publice abutuntur; sed eo quidem vehementius, ne mali magno cum detimento bonorum et communi omnium pernicie plurimum possint, cum praesertim hoc sit unum, quod ad omnes res et privatas et publicas maxime pertineat, hoc tuta, hoc honesta, hoc inlustris, hoc eodem vita iucunda fiat. Nam hinc ad rem publicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum praesto est sapientia; hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honos, dignitas confluit; hinc amicis quoque eorum certissimum et tutissimum praesidium comparatur.

Ac mihi quidem videntur homines, cum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis praestare, quod loqui possunt. Quare praeclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis praestent, ea in re hominibus ipsis antecellat. Hoc si forte non natura modo neque exercitatione conficitur, verum etiam artificio quodam comparatur, non alienum est videre, quae dicant ii, qui quaedam eius rei pracepta nobis reliquerunt.

Valerius Maximus, qui ineunte saeculo post Christum natum primo floruisse videtur, *Factorum et dictorum memorabilium* libros novem composuit. Ex his narratiunculis nonnulla discimus de modis quibus Graeci antiqui et Romani de virtutibus et de vitiis cogitare solebant.

### E VALERI MAXIMI FACTORUM ET DICTORVM MEMORABILIVM LIBRIS....

#### E libro tertio

3.3.ext.1 Vetusto Macedoniae more regi Alexandro nobilissimi pueri praesto erant sacrificanti. e quibus unus turibulo arrepto ante ipsum adstitit. in cuius brachium carbo ardens delapsus est. quo etsi ita urebatur, ut adusti corporis eius odor ad circumstantium nares perueniret, tamen et dolorem silentio pressit et brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso turibulo impediret aut edito gemitu re<li>gio<ne> aspergeret. rex, quo patientia pueri magis delectatus est, hoc certius perseuerantiae experimentum sumere uoluit: consulto enim sacrificauit diutius nec hac re eum proposito repulit. si huic miraculo Dareus inseruisset oculos, scisset eius stirpis milites uincī non posse, cuius infirmam aetatem tanto robore praeditam animaduertisset. Est et illa uehemens et constans animi militia, litteris pollens, uenerabilium doctrinae sacrorum antistes, philosophia. quae ubi pectore recepta est, omni inhonesto atque inutili affectu dispulso, totum [in] solidae uirtutis munimento confirmat potentiusque metu facit ac dolore.

3.2.ext.3 Hoc loci Leonidas nobilis Spartanus occurrit, cuius proposito, opere, exitu nihil fortius: nam cum ccc ciuibus apud Thermopylas toti Asiae obiectus grauem illum et mari et terrae Xerxes, nec hominibus tantum terribilem, sed Neptuno quoque conpedes et caelo tenebras minitantem, pertinacia uirtutis ad ultimam desperationem redigit. ceterum perfidia et scelere incolarum eius regionis [et] loci opportunitate, qua plurimum adiuuabatur, spoliatus occidere dimicans quam adsignatam sibi a patria stationem deserere maluit, adeoque alacri animo suos ad id proelium, quo perituri erant, cohortatus est, ut diceret 'sic prandete, commilitones, tamquam apud inferos cenaturi'. mors erat denuntiata: Lacedaemonii, perinde ac uictoria esset promissa, dicto intrepidi paruerunt.

3.8.ext.6 Quod sequitur et rei ipsius admiratione et claritate auctoris inlustre. Alexander Macedonum rex incluta iam pugna excellentissimis opibus Darei contusis aestu et itineris feroce in Cilicia percalefactus Cydno, qui aquae liquore conspicuus Tarson interfluit, corpus suum immersit. subito deinde ex nimio haustu frigoris obstupefactis neruis ac torpore hebetatis artibus maxima cum exanitione totius exercitus in oppidum castris propinquum defertur. iacebat aeger Tarsi, inque ualitudine eius aduersa instantis uictoriae spes fluctuabat. itaque conuocati medici adtentissimo consilio salutis remedia circumspiciebant. quorum cum ad unam potionem <se> sententiae direxissent, atque eam Philippus medicus suis manibus temperatam Alexander erat autem ipsius amicus et comes—porrexisset, a Parmenione missae litterae superuenient admonentes ut rex insidias Philippi perinde ac pecunia corrupti a Dareo caueret. quas cum legisset, sine ulla cunctatione medicamentum hausit ac tum legendas Philippo tradidit. pro quo tam constanti erga amicum iudicio dignissimam a dis immortalibus mercedem recepit, qui incolumitatis eius praesidium falso interpellari indicio noluerunt.

## E VALERII MAXIMI LIBRIS....

7.3.7 Fabius autem Maximus, cui non dimicare uincere fuit, cum praecipuae fortitudinis Nolanum peditem dubia fide suspectum et strenuae operae Lucanum equitem amore scorti deperditum in castris haberet, ut utroque potius bono milite uteretur quam in utrumque animaduerteret, alteri suspicionem suam dissimulauit, in altero disciplinam paululum a recto tenore deflexit: namque illum plene pro tribunali laudando omni<sup>que</sup> genere honoris prosequendo animum suum a Poenis ad Romanos coegit reuocare, et hunc clam meretricem redimere passus paratissimum pro nobis excusorem reddidit.

2.6.1 Idem <de simplici vivendi modo> sensit prox<ma> maiorum nostorum grauitati Spartana ciuitas, quae seuerissimis Lycurgi legibus obtemperans aliquamdiu ciuium suorum oculos a contemplanda Asia retraxit, ne inlecebris eius capti ad delicatius uitiae genus prolaberentur: audierant enim inde lauitiam et inmodicos sumptus et omnia non necessariae uoluptatis genera fluxisse, primosque Ionas unguenti coronarumque in conuiuio dandarum et secundae mensae ponendae consuetudinem haud parua luxuria*e* inritamenta repperisse. ac minime mirum est quod homines labore ac patientia gaudentes tenacissimos patriae neruos externarum deliciarum contagione solui et hebetari noluerunt, cum aliquanto faciliorem uirtutis ad luxuriam quam luxuria*e* ad uirtutem transitum uiderent. quod eos non frustra timuisse dux ipsorum Pausanias patefecit, qui maximis operibus editis, ut primum se Asiae moribus permisit, fortitudinem suam effeminato eius cultu mollire non erubuit.

6.9.ext.1 Adtento studio nostra commemorauimus: remissiore nunc animo aliena narrentur. perditae luxuria*e* Athenis adulescens Polemo, neque inlecebris eius tantum modo, sed etiam ipsa infamia gaudens, <cum> e conuiuio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset domumque rediens Xenocratis philosophi patentem ianuam uidisset, uino grauis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, perlucida ueste amictus refertam turba doctorum hominum scholam eius intrauit. nec contentus tam deformi introitu consedit etiam, ut clarissimum eloquium et prudentissima praecepta temulentiae lasciu*i* eleuaret. orta deinde, ut par erat, omnium indignatione Xenocrates uultum in eodem habitu continuit omissaque re, quam disserebat, de modestia ac temperantia loqui coepit. cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemo primum coronam capite detractam proiecit, paulo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris conuiualis hilaritatem depositus, ad ultimum totam luxuriam exuit uniusque orationis saluberrima medicina sanatus ex infami ganeone maximus philosophus euasit. peregrinatus est huius animus in nequitia, non habitauit.

Desiderius Erasmus Roterodamus, vir doctissimus, auctor Latinitatis praeclarus ab anno 1466<sup>o</sup> usque ad annum 1536<sup>m</sup> post Christum natum vixit.

EX OPUSCULO ERASMI, QUOD INSCRIBITUR "QUERELA PACIS  
UNDIQUE GENTIUM EJECTAE PROFLIGATAEQUE"

III.... In arboribus, in herbis amicitiam possis agnoscere. Steriles sunt quaedam, nisi marem adiungas, vitis ulmum amplectitur, vitem amat persica. Usque adeo quae nihil sentiunt, tamen pacis beneficium sentire videntur. Sed haec rursum ut sentiendi vim non habent, ita quod vitam habeant, iis quae sentiunt finitima sunt.

Quid aequa brutum atque saxorum genus? Dicas tamen his quoque pacis et concordiae sensum inesse. Ita Magnes ferrum ad sese trahit, attractum tenet. Quid quod inter immanissimas etiam feras conuenit? Leonum inter ipsos feritas non dimicat. Aper in aprum non vibrat dentem fulmineum, lynci cum lynce pax est, draco non saevit in draconem, luporum concordiam etiam proverbia nobilitarunt. [I] Addam quod magis etiam mirum videatur, impii spiritus, per quos coelitum atque hominum concordia primum dirupta est, et hodie rumpitur, tamen inter se foedus habent, suamque illam qualecumque Tyrannidem consensu tuentur: solos homines, quos omnium maxime decebat unanimitas, quibusque cum primis opus est ea, neque natura tam aliis in rebus potens et efficax concilie, nec institutio coniungit, nec tot ex consensu profecturae commoditates conglutinant, nec tantorum denique malorum sensus et experientia in mutuum amorem redigit. Figura communis omnium, vox eadem, et cum caetera animantium genera corporum formis potissimum inter se differant, uni homini indita vis rationis, quae ita sit illis inter ipsos communis, ut cum nullo sit reliquorum animantium communis. Uni huic animanti sermo datus, praecipuus necessitudinum conciliator: Insita sunt communiter disciplinarum ac virtutum semina, ingenium mite placidumque, et ad mutuam benevolentiam propensum, ut per se iuvet amari, et iucundum sit de aliis vel gratis bene mereri, nisi quis pravis cupiditatibus, ceu Circes pharmacis, corruptus, ex homine degenerarit in belluam. Hinc est, videlicet, quod vulgus, quidquid ad mutuam benevolentiam pertinet, humanum appellat, ut humanitatis vocabulum non iam naturam nobis declareret, sed mores hominis natura dignos. Addidit lacrymas, exorabilis ingenii documentum, [IV] quo si quid forte inciderit offensae, et amicitiae serenitatem nubecula aliqua obfuscari, facile redeant in gratiam. En, quot rationibus natura concordiam docuit? Nec his tamen contenta mutuae benevolentiae lenociniis, amicitiam homini non solum iucundam esse voluit, verum etiam necessariam. Eoque tum corporum, tum animorum dotes ita partita est, ut nemo sit omnium tam instructus, quin infimorum etiam officio nonnumquam adiuvetur: nec eadem attribuit omnibus, nec paria, ut haec inaequalitas mutuis amicitiis aequaretur.

Aliis in regionibus alia proveniunt, quo vel usus ipse mutua doceret commercia. Caeteris animantibus sua tribuit arma praesidiaque, quibus sese tuerentur, unum hominem produxit inermem, atque imbecillum, nec prorsus aliter tutum, quam foedere mutuaque necessitudine. Civitates reperit necessitas, et ipsarum inter se societatem docuit necessitas, quo ferarum ac praedonum vim cunctis viribus propellerent. Adeo nihil est in rebus humanis, quod ipsum sibi sufficiat. In ipsis statim vitae primordiis perisset hominum genus, [] nisi conditum propagasset

coniugalis concordia: nec enim nasceretur homo, et mox natus interiret, atque in ipso vitae limine vitam amitteret, nisi obstetricum amica manus, nisi nutricum amica pietas, succurreret infantulo. Atque in hunc usum vehementissimos illos pietatis igniculos insevit, ut parentes etiam illud ament, quod nondum viderunt. Adiecit mutuum liberorum erga parentes pietatem, ut illorum imbecillitas horum praesidiis vicissim sublevaretur, fieretque illa cunctis quidem ex aequo plausibilis, sed Graecis aptissime dicta antipelargosis. Accedunt huc cognationum et affinitatum vincula. Accedit in nonnullis ingeniorum, studiorum formaeque similitudo, certissima benevolentiae conciliatrix, in multis arcanus quidam animorum sensus, ac mirus ad mutuum amorem stimulus, quem veteres admirati Numini seu Genio adscribabant.

Tot argumentis natura docuit pacem concordiamque, tot illecebris ad eam invitat, tot laqueis trahit, tot rebus compellit. Et post haec quaenam ista tam ad nocendum efficax Erinnys, his omnibus disruptis, disiectis, discussis, insatiabilem pugnandi furiam insevit humanis pectoribus? [V] Nisi primum admirationem, deinde sensum etiam mali adimeret adsuetudo, quis crederet humana mente praeditos istos, qui sic iugibus dissidiis, litibus, bellis inter sese certant, rixantur, tumultuantur? Postremo rapinis, sanguine, caedibus, ruinis, sacra profanaque miscent omnia: nec ulla tam sancta foedera, quae illos in mutuam perniciem debacchantes queant dirimere. Ut nihil etiam accesserit, satis erat commune hominis vocabulum, ut inter homines conveniret.

Laurentius Valla (1407-1457) grammaticus et philosophus cum multa opera tum *Elegantiarum linguae Latinae* libros sex composuit - opus mirabile, unde permulta de linguae Latinae proprietate deque normis dicendi apud auctores probatos usitatis discere adhuc possumus....

#### IN SEX LIBROS ELEGANTIARUM PRAEFATIO

Cum saepe mecum nostrorum maiorum res gestas aliorumque vel regum vel populorum considero, videntur mihi non modo ditionis nostri homines, verum etiam linguae propagatione ceteris omnibus antecelluisse. Nam Persas quidem, Medos, Assyrios, Graecos aiosque permultos longe lateque rerum potitos esse ; quosdam etiam, ut aliquanto inferius quam Romanorum fuit, ita multo diurnius imperium tenuisse constat; nullos tamen ita linguam suam ampliasse ut nostri fecerunt, qui, ut oram illam Italiae quae Magna olim Graecia dicebatur, ut Siciliam quae graeca etiam fuit, ut omnem Italiam taceam, per totum paene occidentem, per septentrionis, per Africae non exiguum partem, brevi spatio linguam romanam, quae eadem latina a Latio ubi Roma est dicitur, celebrem et quasi reginam efficerunt et, quod ad ipsas provincias attinet, velut optimam quandam frugem mortalibus ad faciendam semetem praebuerunt: opus nimirum multo praeclarius multoque speciosius quam ipsum imperium propagasse. Qui enim imperium augent, magno illi quidem honore affecti solent atque imperatores nominantur; qui autem beneficia aliqua in homines contulerunt, ii non humana, sed divina potius laude celebrantur, quippe cum non suae tantum urbis amplitudini ac gloriae consulant, sed publicae quoque hominum utilitati ac saluti. Itaque nostri maiores rebus bellicis pluribusque laudibus ceteros homines superaverunt, linguae vero suae ampliatione seipsis superiores fuerunt, tamquam relicto in ternis imperio consortium deorum in caelo consecuti.

An vero Ceres quod frumenti, Liber quod vini, Minerva quod oleae inventrix putatur, multique alii ob aliquam huiusmodi beneficentiam in deos depositi sunt, linguam latinam nationibus distribuisse minus erit, optimam frugem et vere divinam, nee corporis sed anrrm cibum? Haec enim gentes illas, populosque omnes omnibus artibus quae liberales vocantur instituit; haec optimas leges edocuit ; haec viam eidem ad omnem sapientiam munivit ; haec denique praestitit ne barbari amplius dici possent. Quare quis aequus rerum aestimator non eos praferat qui sacra litterarum colentes iis qui bella horrida gerentes clari fuerunt ? Illos enim regios homines, hos vero divinos iustissime dixeris, a quibus non quemadmodum ab hominibus fit aucta respublica est maiestasque populi romani solum, sed quemadmodum a diis salus quoque orbis terrarum; eo quidem magis quod qui imperium nostrum accipiebant, suum amittere et, quod acerbius est, libertate spoliari se existimabant, nee fortasse iniuria; ex sermone autem latino non suum imminui, sed condiri quodammodo intelligebant, ut vinum posterius inventum aquae usum non excussit, nee sericum lanam linumve, nee aurum cetera metalla de possessione eiecit, sed reliquis bonis accessionem adiunxit. Et sicut gemma aureo inclusa annulo non deornamento, sed ornamento est, ita noster sermo accedens aliorum

sermoni vernaculo contulit splendorem, non sustulit. Neque enim armis aut crurore aut bellis dominatum adeptus est, sed beneficiis, amore, concordia. Cuius rei, quantum coniectura suspicari licet, hoc, ut ita loquar, seirdnarium fuit. Primum, quod ipsi maiores incredibiliter se in omni studio rum genere excolebant, ita ut ne in re quidem militari aliquis nisi idem in litteris praestans esse videretur : quod erat ceteris ad aemulationem non exiguum incitamentum. Demde, quod ipsis litterarum professoribus praemia egregia sane proponebant. Postremo, quod hortabantur provinciales omnes ut cum Romae turn in provincia romane loqui consuescerent. Ac, ne pluribus agam, de comparatione imperii sermonisque romani, hoc satis est dixisse. Illud iam pridem, tamquam ingratum onus, gentes nationesque abiecerunt; hunc omni nectare suaviorem, omni serico splendidiorem, omni auro gemmaque pretiosiorem putaverunt, et quasi deum quendam e caelo dimissum apud se retinuerunt. Magnum ergo latini sermonis sacramentum est, magnum profecto numen quod apud peregrines, apud barbaros, apud hostes, sancte ac religiose per tot saecula custoditur, ut non tarn dolendum nobis Romanis quam gaudendum sit atque ipso etiam orbe terrarum exaudiente gloriandum. Amisimus Romam, amisimus regnum atque dominatum; tametsi non nostra sed temporum culpa; verum tamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum, multaeque aliae nationes. Ibi namque romanum imperium est ubicumque romana lingua dominatur. Eant nunc Graeci et linguarum copia se iacent. Plus nostra una effectit, et quidem inops, ut ipsi volunt, quam illorum quinque, si eis credimus, locupletissimae; et multarum gentium, velut una lex, una est lingua romana; unius Graeciae, quod pudendum est, non una, sed multae sunt, tamquam in republica factiones. Atque exteri nobiscum in loquendo consentiunt; Graeci inter se consentire non possunt, nedum alias ad sermonem suum se perducturos sperent. Varie apud eos loquuntur auctores, attice, aeolice, ionice, dorice, %oiva>s; apud nos, id est apud multas nationes, nemo nisi romane, in qua lingua disciplinae cunctae libero homine dignae continentur, sicut in sua multiplice apud Graecos; qua vigente quis ignorat studia omnia disciplinasque vigere, occidente occidere? Qui enim summi philosophi fuerunt, summi oratores, summi iurisconsulti, summi denique scriptores ? nempe il qui bene loquendi studiosissimi. Sed me plura dicere volentem impedit dolor et exulcerat lacrymarique cogit, intuentem quo ex statu et in quern facultas ista reciderit. Nam quis litterarum, quis publici boni amator a lacrymis temperet, cum videat hanc in eo statu esse, quo olim Roma capta a Gallis ? Omnia eversa, incensa, diruta, ut vix capitolina supersit arx. Siquidem multis iam saeculis non modo nemo latine locutus est, sed ne latina quidem legens intellexit : non philosophiae studiosi philosophos, non causidici oratores, non legulei iurisconsultos, non ceteri lectores veterum libros perceptos habuerunt aut habent, quasi amissi Romano Imperio non deceat romane nee loqui nee sapere, fulgorem ilium latinitatis situ ac rubigine passi obsolescere. Et multae quidem sunt prudenter hominum variaeque sententiae, unde hoc rei acciderit, quarum ipse nullam nee probo nee improbo, nihil sane pronun-

tiare ausus ; non magis quam cur illae artes, quae proxime ad libe-  
rates accedunt, pirigendi, sculpendi, fingendi, architectandi, aut  
tamdiu tantoque opere degeneraverint, ac paene cum litteris ipsis  
demortuae fuerint, aut hoc tempore excitentur ac reviviscant, tan-  
tusque turn bononim opificum, turn bene litteratorum proventus  
efflorescat. Venim enimvero quo magis superiora tempora infelicia  
fuere, quibus homo nemo inventus est eruditus, eo plus his nostris  
gratulandum est, in quibus, si paulo amplius admittamus, confido  
propediem linguam romanam vere plus quam urbem, et cum ea  
disciplinas omnes, iri restitutum. Quare pro mea in patriam pie-  
tate, immo adeo in omnes homines, et pro rei magnitudine cunctos  
facundiae studiosos, velut ex superiore loco libet adhortari evoca-  
reque et illis, ut aiunt, bellicum canere. Quousque tandem Quirites  
(litteratos appello et romanae linguae cultores, qui et vere et soli  
Quirites sunt, ceteri enim potius inquilini), quousque, inquam,  
Quirites, urbem nostram, non dico domicilium imperii, sed pa-  
rentem litterarum, a Gallis captam esse patiemini? id est latini-  
tatem a barbaria oppressam? Quousque profanata omnia duris et  
paene impiis aspiciens oculis? An dum fundamentorum reliquiae  
vix apparent? Alius vestrum scribit historias : istud est Veios habi-  
tare. Alius graecatransfert: istud est Ardeae considere. Alius ora-  
tiones, alias poemata componit: istud est Capitolium arcemque  
defendere. Praeclara quidem res et non mediocri laude digna, sed  
hoc non hostes expellit, non patriam liberat. Camillus nobis, Ca-  
millus imitandus est, qui signa, ut inquit Virgilius, 1 in patriam re-  
ferat eamque restituat; cuius virtus adeo ceteris praestantior fuit,  
ut illi qui vel in Capitolio, vel Ardeae, vel Veiis erant, sine hoc  
salvi esse non possent. Quod hoc quoque tempore continget, et  
ceteri scriptores, ab eo qui de lingua latina aliquid composuerit,  
non parum adiuvabuntur, E quidem, quod ad me attinet, hunc imi-  
tabor; hoc mihi proponam exemplum; comparabo, quantulaecum-  
que vires meae fuerint, exercitum, quem in hostes quam primum  
educam; ibo in aciem, ibo primus, ut vobis animum faciam. Cer-  
temus, quaeso, honestissimum hoc pulcherrimumque certamen;  
non modo ut patriam ab hostibus recipiamus, verum etiam ut in  
ea recipienda quis maxime Camillum imitabitur appareat. Difficil-  
limum quidem praestare quod ille praestitit, omnium imperatorum  
mea sententia maximus riteque secundus a Romulo conditor urbis  
appellatus. Ideoque plures pro se quisque in hanc rem elaboremus,  
ut saltern multi faciamus quod unus effecit. Is tamen iure vereque  
Camillus dici existimarique debebit, qui optimam in hac re ope-  
ram navaverit. De me tantum affermare possum, ut non sperare  
tantae me rei satisfacturum, ita difficillimam sumpsisse laboris  
partem durissimamque provinciam, ut redderem aliquos ad cetera  
prosequenda alacriores. Hi enim libri nihil fere, quod ab aliis  
auctoribus, iis dumtaxat qui extant, traditum est, continebunt. At-  
que hinc principium nostrum auspiciemur.